

vita et lingua dissentirent. Viderant hoc inter veteres in comment. *Origenes*, vt et in libro de *principiis*, *Hieronimus*, *Chrysostomus* et *Theodoretus*: inter recentiores *Lutherus* in praefat. comment. in *Psalms*, et post alios viros doctos immortalis *Ernestius* in diff. de *Difficultatibus N. T.* recte interpretandi, recusa in *Opusc. Phil. et Crit.* p. 198.

- 4) Multae praeiudicatae opiniones quibusdam in locis adhuc obstant studio exegetico N. T. v. c. non nisi precibus et pia animi simplicitate S. S. explicari debere: omnem eruditionem profanam, h. e. humanam, cane peius et angue fugiendam esse: contextum N. T. esse plane incorruptum, eiusque libros idiomate graece puro conscriptos. Videat. S. V. *Herder* haec et alia huius farraginis commenta profligans in libro: *Briefe das Studium der Theologie betr.* Br. I.
- 5) Opus est ingenio auctorum Graeciae Latiique lectione subacta ad vsum in interpretando acquirendum.
- 6) Difficile est in arte critica suppeditare praecepta firma, iusta et vera, cuius rei causam in ipsa huius scientiae natura deprehendimus, quippe quae intra probabilitatis leges contineatur. Vid. *Clerici Ars Critica* et ill. *Beckii* Commentatio de interpretatione veterum scriptorum, *Lips.* 1790. §. 2. et 3. Maioribus adhuc difficultatibus laborat scientia critica N. T.
- 7) Multa adhuc obscura sunt in historia temporum, auctorum et librorum N. T. multa in Geographia et Historia naturali, post egregia etiam recentiorum peregrinatorum studia clariorem lucem sibi deponunt.
- 8) In interpretatione N. T. praeter verba etiam ad singularem cuiusvis scriptoris characterem respici